



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**PSALTE=||RIVM DAVIDIS || CARMINE REDDITVM || PER
EOBANVM || HESSVM.||**

Hesus, Helius Eobanus

Lipsiae, 1557

VD16 B 3198

Psalmvs LXVII. Deus miserantur nostri, & bened.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69301](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-69301)

Voce mea quoties ipsum in mea uota uocauī,
 Visus erat toties maximus esse mīhi.
 Si tamen inueniār mībi conscius esse malorum,
 Amplius haud nostras audiet ille preces.
 Nunc tamen exaudi miserum me, & uerba precantū
 Refpice, nec famuli reijce uota tui.
 Gloria summe tibi, tibi laus Deus optime soli,
 Qui uacuas nostras non finis esse preces.
 Qui miserum pietate tua dignaris, & auges,
 Verba nec auerso lumine nostra uides.

P S A L M V S L X V I I .

Deus misereatur nostri, & bened.

A R G V M E N T V M .

Est precatio pro uerbo Euangeliū: In eo
 enim uere ostenditur nobis facies Dei, hoc
 est, Christus & ipsa Dei misericordia. Habet
 autem manifestam prophetiam, quod Gen-
 tes sint populus Dei futuræ, & pars Regni
 Christi: Neq; enim eas inuitat ad circumcisii
 onem aut legem, sed simpliciter ad fidem &
 gratiarum actionem.

Imperium Christi uates canit esse futurum,
 Quod comitabuntur gratia, pax & amor.
 Vocem Euangeliū procul in Gentes abituram,
 Non modo Iudeæ regna per arcta domus.

Orat pro fru-
ctu verbī.

Sit pius & faueat nobis Deus, annuat idem,
 Lumina nos uultus posse uidere sui.

Ipsius



P S A L T E R I V M .

145

Ipsius ut totum sit semita nota per orbem,
Quamq; sit in cunctis Gentibus alta salus.
Omnes te populi laudent, tibi seruiat orbis,
Omnia sunt laudis clima ta plena tuæ.
Omnes exultent populi tibi iubila dicant,
Terrarum index tu quia iustus eras.
Iusticia quia cuncta regas, modereris & orbem,
Et quicunq; in eo quæ loca cunq; colunt.
Omnes te populi laudent, tibi seruiat orbis,
Omnia sunt laudis clima ta plena tuæ.
Sit pius & fauceat nobis Deus, ut sua tellus
Largiflua uberibus semina fundat agris.
Exhibeat nobis solitæ pietatis honorem,
Quem nostrum merito dicimus esse Deum.
Omnia sic ipsum terrarum extrema timebunt,
Quem stupet, & mundi machina tota tremit.

Iudicare & re
gere est uerbo
arguere pecca
ta & promitte
re remissionē
peccatorū, ac
sic liberare ab
hostib. morte,
peccato &c.

P S A L M V S L X V I I I .

Exurgat Deus & dissipentur inimici.

A R G U M E N T U M .

Est insignis prophetia de regno Christi
& Christo, in qua belle describit Regem, seu
caput regni, Christum, quod resurrecturus
sit, ascensurus ad coelos, datus spiritum &
dona spiritus, scilicet, Apostolos & Prophe
tas, qui per uerbum Sathanam conculca
ri, & Christo regnum paraturi sint. Addidit
etiam de Synagogæ interitu, & abrogatio
ne

K

ne